



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 8. Admiranda in Regno Murciano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

In *Gadibus* Insula, fons suauissimus, contrario effectu, astu exundante deficit, impletur autem deficiente. *Polybius & Strabo lib. 3.*

Ibidem quoque fons aquæ salubris, & iucundæ, qui secundum maris accessum & recessum, intumescit & decrescit. *Plinius l. 2.*

In eâdem insulâ nunc planta nascitur, quam vbi semel hominis manus perfriuerit, areficit. *Ioan. Eusebius.*

Olim hîc quoque arbor, cuius rami terræ infigebantur, ex his fractis lac erumpet, ex radice humor minio similis. *Strabo lib. 3. Geog.*

Cordubæ Fratrum Prædicatorum cœnobium est, in quo campagna sponte pulsatur quotiescumq; Religiosus aliquis huius monasterij, aut vir aliquis in ordine illustris propediem moriturus est. *Io. Lupus Episc. Monopoliensis.*

#### §. 7. In Regno Granatae.

Ad oppidum *Antiquarium* fons tantæ potestatis, ut saxa dissoluat, imò & calculos in vesicis ex eo bibentium; ideoque dicitur *Petra-Fons Antiquarius. Nierembergius.*

#### §. 8. In Murcia.

**CARAVACÆ** Vulgo *S. Crux de Caravaca*, seruatur *Crux* è celo delapsa sacerdoti sacrafacturo coram Regulo Mauro. Vrbs illa crebris tempestatibus quatitur; vnicum remedium offerre nimbis horrisonis Crucem. Turris autem in quâ *Crux* illa seruatur totâ vrbe concussâ non mouetur: inde Cruces toto orbe celebres & fulminum amuleta. *Ioan. Nierembergius.*

Ad *Carthaginem Nouam* nascebatur olim herba (& iam nascitur) ex quâ indigenæ vestes, calceos, casas, & ignem conficiunt, *sparsum* nominatur, animalibus noxiom, nisi eius tantum cacumen decerpant; colligitur manibus armatis. *Plinius lib. 19. cap. 2.*

Circumposita autem regio adeò olim fertilis, ut hordeum mense Aprili meteretur, quare hîc plerumque duplex messis. *Idem lib. 18. cap. 7.*